

05

A

332



I
I
M

D
SS.



I. N. J. Amen!

ΔΙΑΤΡΙΒΗ

Seu

EXERCITATIO THEOLOGICA

expedens

EXECRABILEM SPIRITUALEM

DEFECTIONEM

MILITANTIUM SUB VEXILLIS

COELESTIS REGIS CHRISTI

JESU,

ad castra PRINCIPIS TENEBRARUM,

Quam

Supremi Numinis auxilio.

& inclytæ Facultatis Theolog. consensu

In Alma Leucorea,

SUB PRÆSIDIO

Viri Summè Reverendi, Magnifici, Amplissimi, atq; Excellentissimi

DN. JOH. DEUTSCHMANNI,

SS. Theol. Doctoris, ejusq; Prof. Publ. longè Celeberrimi, Consistorii

Ecclesiastici Assessoris gravissimi, ut & Alumnorum

Electoralium Ephori,

*Dn. Patroni, atq; Præceptoris sui, quovis observantia cultu atatem
devenerandi,*

Publicæ Eruditorum Disquisitioni subjicit

Ernst Henrich Wackenroder / Rugianus.

Addiẽm Januarii, Anno cl̃o Isc LXXXVI.

In Auditorio Theologorum.

VVITTEBERGÆ, Literis SCHULTZIANIS.

ΔΙΑΤΡΙΒΗ

EXERCITATIO THEOLOGICA

DE EFFECTIONE

IN STATUM VEXILLI



5 A 332

JOH. DEUTSCHMANNI

HALLE AM 1711

SCHEITLMEIER





Σὺν τῷ θεῷ.

Rama & fidei damna majora, quàm quæ æstima-
ri possint. *Licetum sit mihi Authoris Ethnici*
fidissim rerum Rom. Conditoris Livii Dec. 3. c.
31. aureo dicto harum pagellarum frontispici-
um insignire. Nam si quæ fidei pignora in Gentilium pe-
toribus reposita fuere, haud immeritè miramur, cum no-
bis in luce divina patefactivnis constitutis, legibus insuper
et expresso Dei mandato ad ea servanda obstrictis, ruborem
scipius injiciant virtutes ethnica, ceu dotes à cœcutientibus
inventæ et possessa. Quos sua libido in Martem accendit, fir-
missima fidei vincula inter se neclunt: turpis habetur ad
hostem defectio, fluctuantis animi inconstantia, timor, tre-
pidatio, fuga, fadaq; signorum desertio nefas militibus au-
diunt. Certè memorabile censeo hoc fidei exemplum, quo
Zofingensium Vexillifer quidam Duthius præbuit, qui in
Austriacos pugnans, vexillum lacerum ore textit, cum pro-
nus inter hostium cadavera jaceret. Stumphius in Chron.
Celt. lib. 77. p. 33. Detestabile quidem sed inviolabile legi-
tur vinculum, quo rebelles Hybernorum animi ad mutuam
fidem coalescunt; Illos enim prius Deum ejuratos, quàm
Rebellionis Ducem deserturos, commemorat Camdenus ad
an. 1583. p. 371. Sed hæc fœdera adeò valida, vel ad opes
instabiles consequendas, inanem gloriam, dulcem vindictæ
cupidinem, vel ad quævis alia penitus mala pertinent: O
quantâ fiducia et quo animo sub vexillo Christi militan-
dum,

A 2

dum, quia non est nobis lucta adversus sanguinem & carnem, sed adversus Imperia, adversus potestates: adversus Mundi Dominos, Rectores tenebrarum seculi hujus, adversus spirituales malitias, quæ sunt in sublimi. Eph. VI. 9. O quam strenuè sub cælestibus hisce auspiciis pugnandum, & audendum aliquid ingens, cum invictissimi Ducis hæremus vestigiis. Verum, proh dolor! quam frequens hic plurimorum observatur defectio, à Christo ad Belialem, à Vincente ad Victos, à Triumphante ad prostratos. Quale hos perfidia præmium mansat, quantasq; indies infernalis exercitus pradas agat, non satis dolere possumus. Instituti nostri erit, Execrabilem illam spiritualem defectionem aliquantisper non sine animi horrore & laudabili cavendi proposito considerare. Sed ne arduos rem aggrediamur, in Principia & Causas justo ordine recedendum erit, & in quem desinat Terminum, quosve experiatur effectus, brevibus, Divina gratiâ, quam devotissime exoro, adjutus, perpendam.

CAPUT. I.

De Principiis Spiritualis Defectionis.

THESIS. I.

Principium Defectionis Spiritualis non est à Deo, sed ab ipso homine corrupto.

Εξ ημῶν.

S. I.

PPrincipium est id undè res est, aut fit, aut cognoscitur Aristot. I.

ristot. Metaph. c. 1. hinc in Principia essendi & cognoscendi prona distinctio.

§. 2. Ad nominales distinctiones quod attinet, cum Principium in Positivum & Negativum, vulgare, philosophicum, adæquatum & inadæquatum, primum & ortum, constitutivum, & Distinctivum, Activum & Passivum, non operosè, cum ad nostram Tractationem nihil vel parum faciat, exponam: vid. B. Scherz. Vade mecum Defin. Philos. p. 162. & Distinct. Philosoph. p. 202. Fromm. Synops Metaph. c. 15. p. 276. &c. Hic tamen observandum, Principium & causam non æqvè latè patere. Principium enim causà latius est. Siquidem omnis causa Principium dicitur, non vice versà, E. gr. Pater in humanis est causa, Filii, sed non, accuratè loquendo, Principium &c.

§. 3. Hinc Principia *omnes* essendi & causandi, à Deo tanquam Actù purissimo planè removenda. Cœterum cum Magnif. Dn. D. Deutschmanno in Theol. Posit. P olem. de peccato in genere Theol. IV. p. 55. distingvendum inter Principium Percipiens vel Efficiens & inter Deficiens. Deus enim in omnibus dicitur operari non deficiendo, quod peccati, sed perficiendo vel efficiendo, quod causalis est effectus. Nec non inter Principium Productivum & permissivum, non hoc sed posterius causalitatem infert, ut & inter ordinationem & Dispositionem à priori, & à posteriori causalem & Judicalem, hæc non illa concedenda.

§. 4. Proinde ab ipso Homine defectionis initium arcessendum; Quod patet 1. ex ipsius hominis corrupti descriptione; *irreginitus totus est carnalis* Joh. III. 6. *sub peccatum venditus & mancipium ejus* Rom. VI. 16. 19. *voluntate rebellis* Gen. VI. 5. Rom. III. 12. *ut non possit facere bonum,*

bonum, Rom. VII. 18. *ad spiritualia plane cæcus*. 2. Ex inclinatione. Irregitum enim ad malum propensum, evidenter demonstratur ex Gen. VI. 5. c. VIII. 21. Rom. VII. 8. c. VIII. 5. 6. 7. Eph. II. 2. seqq. IV. 22.

§. 5. Dupliciter verò consideratur Defectionis Principium, vel ratione Originis & primi Authoris, & hic est Adamus Protoplastus, à quo in totum genus humanum peccati virus promanavit, Rom. V. 12. vel ratione subjecti proprii, cui vitiositas inhæret.

THESES. II.

Principium Remotum Defectionis Spiritualis lapsus Protoplastorum.

Ἐξήγησις.

§. I.

Autor & Parens totius generis, humani Adamus, ad imaginem Dei quidem conditus fuit, sine ullo vitio & rebellionem aliqua, sed liberè absque ulla Dei vel morali vel physica determinatione & influxu in voluntatem humanam, legem de vitio fructu non comedendo transgressus, non tantum imaginem divinam, peccato instar veneni, quod naturaliter expellit vitam, justitiam originalem expellente, amisit, sed & contrarios habitus, cœcitatem intellectus in rebus præcipuè divinis, voluntatis depravationem, rebellionem appetitus, omniumque animæ facultatum & membrorum corporis proclivitatem ad malum, mortem deniq; ipsam sibi contraxit. Vid. B. Gerhard. LL. Theol. Tom. II. cap. I. p. 467. De peccato Orig. B. Kromaj. Theol. Posit. Polem. Artic. VIII. thes.

thes. i. p. 465. B. D. Scherz. System. Theol. Loc. VIII. de Peccato §. 6. p. 144.

§. 2. Hæc Originalis peccati labes per generationem carnalem in omnes Adæ posteros propagata est. Pf. 51. v. 7. Job. XIV. 4. (*Questionem, num etiam Embryo nondum animatus habeat veram & propriam peccandi rationem?* lege solidè decisam ap. Gerhard. c. l. c. 7. §. 101. p. 559.) nemine excepto, præter humanam Christi naturam, nec Maria, (quam Pontif. ab omni peccati originalis labe absolvere student, ex malè intellecto cap. IV. Cantic Cant. v. 7. *tota pulchra es absque omni macula, ut & ex cap. XII. Apoc. quos locos refutavit B. Kromaj. c. I. art. VIII. thes. IV. p. 491.*) nec Jeremia, nec Joh. Baptista. Vid. Scherz. c. l. p. 153.

THES. III.

Principium proximum est corrupta hominis Voluntas.

Ἐξήγησις.

§. 1.

IN corruptâ enim voluntate boni aversio deprehenditur. ἔ γάρ ὁ θεῶν, ποιῶ ἀγαθόν; ἀπὸ ὃ ἔ θεῶν, κακὸν τῶτο πρόσσω. Rom. VII. 19. τὸ φρόνημα τῆς σαρκός, ἐχθρὸν εἰς θεόν. Rom. VIII. 7. ἢ γὰρ σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τὸ πνεύματος, πρὸς δὲ πνεῦμα, κατὰ τῆς σαρκός. ταῦτα δὲ ἐντίκειται ἀλλήλοις, ἵνα μὴ ὁ ἀνθρῶπις, ταῦτα ποιῆτε. Galat. V. 17.

§. 2. Sic quoque ad spiritualia nullum nobis liberum arbitrium superest, omnium facultatum ad ea ἀδυναμίας existente. Voluntas concupiscit & rebellat adversus Spiritum, *Hominem corrumpit* Eph. IV. 22. 2. Petr. I. 4. *sc. polluit* 2. Petr. II. 10. Originalis concupiscentia expressè dicitur:

dicitur peccatum. Rom. I. 7. *ὑπερβατος ἀμαρτία* tenaciter
inhærens peccatum. Eb. XII. 1.

§. 3. Probè tamen observandum Principia natura-
lia Constitutiva & consecutiva hominem post lapsum
retinuisse, perfectiva saltem, subjectiva & transitiva, a-
misisse. Dist. etiam inter integritatem partium & do-
tium, has amisit illas retinuit. Cœterùm nullo modo
statuendum, Voluntatem humanam determinari vel
prædeterminari à Deo, ad aliquid volendum. Vid. B.
Kromaj. c. 1. artic. 5. Thef. VII. p. 338. Magnif. Dn. D.
Deutschmannl. c. de pecc. in genere p. 51.

CAPUT. II. De Causis Defectionis Spiritualis.

THES. I.

*Causa Efficiens est ipse homo
corruptus.*

Ἐξήγησις.

§. 1.

IN genere Causarum, Res vel quoad internam vel ex-
ternam constitutionem consideratur. Hinc ap. Philo-
sophos trita distinctio inter Causam Efficientem, Mate-
rialem; Formalem & Finale.

§. 2. Causa Efficiens est vel Agens vel movens, Prior
Defectionis Spiritualis ipse homo corruptus in nostra
thesi claris verbis innuitur. Homo enim intervenien-
te perfectissimo *λύτρω* I. Christi, solus ad portam gratiæ,
si velit intrare, admittitur. Pro hominum peccatis so-
lummodò Christus passus & mortuus, ut homines, ceu
deper-

deperditas oves ad sinum Coelestis Patris reduceret. Matth. XX. 28. Marc. X. 45. 1. Timoth. II. 16. Eph. I. 7. Coloff. II. 14. Rom. III. 24. Eb. IX. 12. Gal. III. 13. IV. 5. 2. Petr. II. 1. 1. Cor. VI. 20. VII. 23. Diabolis ex inferno nulla liberatio speranda. Ignis enim aeternus Diabolis, & ejus Angelis paratus legitur. Matth. XXV. 41. Hominum carnem solùm assumpsit Christus Eb. II. 20. hinc τὸ ἀπέστυπεν αἰθερῶν, quod Christus non assumpsit non redemit. Proinde tantis beneficiis Dei cumulatus homo, si quam incurrit perditionem, sibi ipsi, cum planè nulla culpa in Deum redundet, perniciem parat. Deus enim illius rei non est Author cujus est Vindex & ultor, peccatum detestatur & odio habet Deut. VII. 26. Psalm. V. 6. Prov. XV. 16. Deus neminem tentat, allicit & incitat ad peccatum. Jac. I. 13. 14. Idem nos cum sit Sanctissimus, imò ipsa sanctitas sanctitati studere jubet. Ef. 6. v. 3. Denique nulla communio luci est cum tenebris. 1. Cor. VI. 14.

§. 3. Sed Voluntas hominis libera, suis affectibus efferata, legis divinæ monitionumque saluberrimorum impatiens, foedisimâ defectione ad hostilia transit castra; Postquam omne lumen intellectus congenitum suppressit, ad auctâ magis magisque cœcitate naturali, veluti callo undiquaque obductus nec Deum curat, nec homines alios, & sui oblitus non modò non emolliri sese patitur admonitionibus, verùm etiam tantò audacius in praesentissima ruit pericula, quò magis annitaris ipsum à peccato abstrahere. Quapropter quantumvis sciat, quòd Christus sit veritas, non tamen plus ei credit, quàm si esset vanitatum vanitas: Si quid illi svadeat Mundus, mendacium veneratur oraculum, siquid suggerat Daemon, Lex ipsi est. Ita averfatur Christi monita, spernit con-

B

filia,

lia contemnit imperia, ac si illa vel fatuus aliquis in tri-
vio, vel histrio ridiculus in theatro, vel Sycophanta in
Foro effutisset, corrupta enim natura corpus, ut inutile
pondus humi premit, unaque secum colligatum ani-
mum, prouum in terram declinat. Vid. Rom. II. 5. Psal.
LXXXI. 13. Es. LXIII. 17. Of. IV. 16. Act. XIV. 16.

THES. II.

Causa mouens interna est concu- piscencia originalis.

Εξήγησις.

§. I

CAusa Efficiens vulgariter diuiditur in Principalem &
Minus principalem seu instrumentalem. Illam iam
descripsimus. Hæc est vel *προηγμένη* seu intus mouens,
vel *προκατασκευπη* s. exterius mouens.

§. 2. Causa ergo interna defectionis spiritualis O-
riginalis concupiscencia est. Ad hunc fontem omnis ma-
li, ex quo venenatus peccatorum succus in totum homi-
nem derivatur, ipse Salvator nos respicere iubet Mat. XV.
19. *ἐν γὰρ τῆς καρδίας ἐξέρχονται Ἀκαλογοισμοὶ πονηροί, Φόνοι, μοιχεύαι,
πορνείαι, κλοπαί, ψευδαμαρτυρίαι, βλασφημίαι.* Et ne de hoc la-
tente toxico dubitemus, ab effectuum causam concludit.
Matth. VII. 16. *μή τι συζέγεσιν ἀπὸ αἰανθῶν σφοδρὴν, ἢ ἀπὸ τελα-
βῶλων σῖκα & v. 18. ἔδύναται δένδρον εἰ γὰρ καρπὸς πονηρὸς ποιῆν,
& δὲ δένδρον σικερόν καρπὸς καλὸς, ποιῆν,* Rom. VII. 20. & v. 18.
Hic tamen observandum, quod prava concupiscencia,
prout ad formam & ad esse constitutum peccati origi-
nis pertinet, in actu primo accipiatur, nempe pro con-
nato habitu inordinatè concupiscendi, vel pro habitu
procli-

proclivitate ad actus secundos. Motus autem pravæ concupiscentiæ sunt Exercitiū habitus, seu actus secundi concupiscendi. Inter hos autem pravos motus datur distinctio quædam, quanquam enim omnes actus secundi sint congenitæ concupiscentiæ habituales, tamen illorum alii alios ordine antecedunt, & quidem primi, quidam secundi pravæ concupiscentiæ motus vocitantur. Hinc Apostolus Paulus tantum naturæ suæ viciositatem abominatus, cum coercendis tot pravis motibus, quantum permittit humanitas, strenuam adhibuisset operam, radice subinde amarissimos fructus protrudente, tandem hæc verba veluti cum impetu effundit. Rom. XII. 24. *Quis me eripiet de corpore mortis hujus!* Quod Chrysofost. ferm. 13, in Epist. ad Rom. ita explicat: *Cum audis quod dicit, quis me eripiet de corpore mortis hujus! noli putare, quod carnem accuset.* Augustin. l. de Nupt. & Concupisc. c. 13. *ad corpus mortis hic intelligitur pertinere, ut alia lex in membris repugnet legi mentis, dum caro concupiscit adversus Spiritum, etsi mentem non subjuget, quia & Spiritus concupiscit adversus carnem.* Ubi obs. juxta Augustinum per carnem, membra, corpus mortis &c. idem hic intelligi, quod Galat. V. 17. per carnem spiritui repugnantem intelligitur.

THES. III.

Causa movens externa, pro varietate Objectorum seducentium, varia, præcipua tamen Diabolus, mundus, voluptas, carnisque delitiæ.

Tantum abest ut hic causam moventem externam, cum violentia quaedam concipiamus conjunctam, ac si homo frustra resistens velut obtorto collo ad defectio- nem impellatur, abolutaque Dei reprobatione & irrefragabili decreto, aut voluntate beneplaciti Numinis imper- scrutabili, necessariam incurrat perniciem, ut potius hominem, externa moventia, constantia & fide eludere posse. Verba Spiritus S. enim solis radiis scripta, de un- iversalī omnium hominum gratia, extant I. Timoth. II. 4. Ὁς (θεός) πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν & 2. Petr. III. 9. μή (ὁ θεός) βυλόμενος τινὰς ἀπολέσθαι ἀδικῶ πάντας εἰς μετάνοιαν χιρῆσαι. Vid. Ezech. XXXIII. II, Rom. XI. 32. Cæterum quâ ratione erigendi illi, qui sub tenta- tionum pondere anxie gemunt, ac si tot Mundi ac Sata- næ insecationibus resistere non possint, nostri instituti non erit prolixè exponere. Vid. B. Brochm. System. The- ol. P. II. p. 4090. Mengerig. Inform. Consc. Evang. Dom. XX. post Trin. p. 964. Dedekindi praxis Consc. Part. II. c. I. B. Höpffn. Disp. 6. 7. 8. 9.

§. 2. Diaboli ad se lucendum machinationes, quæ jam in Paradiso cœperunt, nullo tempore fuerunt sopitæ. Odium, quo incredibili in genus humanum exardescit, Redemptorio & pro nobis propitiatorio sanguine Chri- sti, in flammam abiit, omnibusque Adæ posteris æternam perniciem moliri satagit. Hinc ad antiquum subindè fraudis ingenium redit, dolisque supplantare hominem annitur.

§. 3. Primus ad fallendum laqueus superstitio est, quo credulos vinctos ad castra sua trahit. Hoc supersti- tionum

tionum toxico primus Orbis incolae corrupti, ut à vero Dei cultu ad nefandam Idololatriam deficerent. Deum enim imitatus pessimè, (quæ πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως Eb. I. II. per Prophetas Patribus locutus;) fabulis & nugis vera Dei Oracula in crustare cœpit, noxio libertatis hamo servanda divina legis pertasos capiens. Hinc seria Dei monita vid. Deut. XLIX. 9. ubi juxta plurimorum sententiam per Pythones Oracula Ethnica indicantur, quia in lingua sacra extat vox אֲבִרָה, quæ vox inter alia significat utres, quia ut ex Aben Esra, Buxtorff. in lexico sub hac voce notat, extumido ventre, quasi utre Oracula fuisse depromta vid. Schindler. in Lexico Pentaglott. p. 34. Paulus Fagius in notis ad paraphras. Chaldaic. Levit. XIX. v. 31. D. Gerhard. in Comment. in Deut. p. 1096.

§. 4. Verum enim verò crassissima hac superstitione fallere Dæmon non contentus Orbem partiri inter veros Dei Cultores & Idololatrias cœpit; & ut frequentior ad castra sua defectio esset, hæretico spiritu Dei Filios veramque Ecclesiam afflavit. Hinc sanctorum Cœtus suos aluit proditores, qui ad defectionem non manipulos, sed totas Cohortes traxere. Hi ex ipso Dei verbo cœu purissimo fonte venenato ore hausta sparserunt dogmata, quibus animos novitate delimitos à Deo abduxere. Sed prolixus nimium essem, si saltem in recensendis eorum nominibus frustra occuparer. Habet & plura ad-versarius noster incitamenta, quibus homines ad defectionem sollicitat.

§. 5. Mundus instructissimus ipsius armamentarium est, unde depromat spicula incautorum pectus ferientia. Hunc propositus honor ad defectionem impellit, ut vera religione ejuratâ, favorem Principum, adora-

tionem tot Clientum, foecundos proventus, aut alia mox peritura consequendi ergo, ad hæretica transeat castra. Illum opibus sibi reddit; alium seducentibus amicis, aliū comotationibus, commellationibus, vestium luxuriã. Alium rapiendi facilitate ad furtum & latrocinia invitat, pulchritudine uxoris alterius, ad commercia adulterii vocat. Hunc voluptatibus emollescit, ut omisã animæ curã vario deliciarum genere torpentem carnem reficiat. Illius animum mundi vanitatibus pascit, & futuri iudicii omnem cogitationem removet. Alium denique ostensã prædæ dulcedine ad scelus induit, & vindictæ cupidine ad parricidium armat. Et quid moror tot referre Sathanæ dolos, cum proh dolor! innumera transfugarum turba ad castra ejus succedat.

CAPUT III.

De Termino Defectionis spiritualis.

THESIS I.

Terminus à quo Defectio Spirit. existit, sunt Vexilla triumphantis Jesu.

Ætÿmolog.

S. I.

EXecrabilis non immeritò hæc defectio dicitur, quæ à Creatore ad Creaturam à vita ad mortem, à Deo ad Diabolum instituitur. S. 2.

§. 2. *Christus unigenitus Dei Filius* Psalm. II. 7. Joh. I. 14. XVIII. 3. *ipse cum Patre & Spiritu Sancto Deus aternus* Esa. 9. v. 6. Prov. VIII. 22. Joh. I. 1. *Immensus* Joh. III. 13. *Omnipotens* Apoc. I. 8. Luc. I. 35. & *omniscius* Joh. II. 24. 25. *In quo habitat tota plenitudo Deitatis*, Coloss. II. 9. Ducem se præbuit lapsis hominibus, Pastorem ovibus errantibus, Medicum labe peccatorum exitiali laborantibus. Hic satisfactor ex asse, tam activâ quàm passivâ obedientiâ, universum genus humanum, ob delictum non pecuniarium, sed criminale adversus Dei Majestatem commissum, aternæ mortis Reum, passione & morte sua ex inferni faucibus eripuit, cum nulla liberatio sinè plenaria satisfactione spectanda foret, vid. Calov. cont. Socin. disputans in Socin. proflig. p. 549. & Glasius in Pnevmatol. Prophet. p. 188. seqq. Hac cœlestia spiritualis malitiæ signa ipsius Ducis Christi J. sanguine tincta rubent, atqve amorem summum, quo erga nos flagrat, testantur. Cui si fidem præstamus, sub ipsius auspiciis vincimus, & de Diabolo ac morte triumphamus, æternamq; salutem ceu immarcescibilem coronam consequimur.

§. 3. De fide hujus Ducis cum sit ipsa Veritas nefas sit dubitare. Salvator expresse dicitur *omnium hominum* 1. Tim. IV. 10. *ut omnis habeat vitam æternam* Joh. III. 16. *Mundans nos ab omni peccato.* 1. Joh. I. 7. Hinc contrâ eos, qui æternam & absolutam statuunt reprobationem invictè colligo ex Joh. III. 18. Qvic. sub pœna æternæ damnationis, credere tenentur in Christum, pro illis Christus verè mortuus est. Atqvi per loc. cit. Joh. Omnes Homines, etiâ reprobi, sub pœnæ æternæ damnationis credere tenentur in Christum, Ergo Christus pro
omni-

omnibus omnino hominibus, etiam reprobis, revera mortuus est. Apage igitur Marcium in resp. ad Epist. Blondelli, qui nomine Ecclesiarum suarum hunc in modum debachatur. *Glorior me nunquam Virus Universalissimi imbibisse, quo si me sentirem infectum, illud evomere vellem cum meo sanguine.* Vox orco digna, ab instrumento Diaboli prolata, qua fide infirmos ad defectionem spir. permovere studet.

§. 4. Quocirca cum de fide Ducis nostri Coelestis Christi J. satis constet, quod qui signa ejus sequuntur Spirituales hostes Diabolum, Carnem Mundum & mortem nullo ferè negotio sint superaturi, hinc opus non erit radiantem hujus Regis Majestatem, prolixo illustrare praconio. Felix & aeternum beandus, cujus auribus haec monita coelestis continuo illabuntur. Apoc. II. 10.

Ἦναι ἡσῆς ἀρχὴ θανάτου, καὶ δάσω σοὶ τὴν σέφαιον τῆς ζωῆς.

THES. II.

Terminus ad quem est Princeps tenebrarum.

Ἐξήγησις.

§. I. DE Diaboli Existencia & Essentia hujus loci non erit superflua commentari, nec in refutandis Manichæis ac Priscillianistis operosè contendere. De quibus Leo M. Epist. 93. scriptum reliquit, eos sensisse quod Diabolus nunquam fuerit bonus, nec entitas ejus opificium

fit

fit Dei, sed ex chaos & tenebris emerisse, quorum somni-
is obviam ivit Kromaj. Theol. Pol. Polem. Artic. IV.
thes. XV.

§. 2. Hic tenebrarum Dominator non seductus,
sed proprio motu liberi Arbitrii abusus in bono non per-
fitit, juxta Salvatoris assertum Joh. VIII. 44. Proinde
subitanea & horrenda naturæ & status ejus immutatio fa-
cta, ingens in intellectu obfuscatio & in voluntate sum-
ma depravatio. Nam in quo olim relucebat Sanctitas &
Justitia, is nunc ad malum semper inclinatur; hinc Homici-
da ab initio & Pater Mendacii: Et ut promeritam susti-
neat pœnam, in extremas carceris infernalis tenebras
conjectus non tantum absque omni spe liberationis, sed
etiam expectatione certissimâ, multò intensioris suppli-
cii ac totalis incarcerationis in die novissimo. Hic est
ignis ille in quem jussu atque autoritate Christi judicis
discessuri olim ad Diabolum Profugæ dicuntur Matth.
XXV. 41. ab elementari nostro multum differens ater-
nus tum quâ præparationem, tum quâ indefinenter du-
rationem & impossibilem ex eo liberationem, paratus à
Deo justissimo judice propter nefandam ~~dominam~~ absque
ullo eluctandi remedio.

§. 3. Ad hunc Hospitem, ejusque caliginosum
Hospitium, spiritualis tendit defectio. Sanè deficientium
turba multò infelicioꝝ, quam ejusmodi animalcula sunt,
quæ temerario volatu in flammam feruntur, quâ tamen
subitâ morte dolores finiunt. Infernus verò stagnum
est ignis ac sulphuris, cruciantis die ac nocte in secula
seculorum, Apoc. XX. 10. Ubi vermis eorum non mo-
rietur, nec ignis extingvetur Es. 66. v. 24. In bello quod
ab hominibus geritur, non facile quis ad hostem transi-

C

ect, de

ret, de cuius fide & animo non constaret, vel quem sciret sibi infestum. Sed Spiritualis defectionis Rei, manifestò sciunt, ad quem Ducem tendunt, totius sc. humani generis hostem infensissimum, qui *accusat eos ante conspectum Dei die ac nocte.* Apoc. XII. 10. *Qui non secus ac Leo rugiens* Peripatericus præ impotentia famis rugire, atqve hinc indè feram sollicitè inquirens discurrere solet, nulla insuper prædâ, quam inexplebili cupiditate appetit, satiari potest, sed obambulat, summoqve studio quærit, quem devoret, h. e. arctissimo vinculo sibi uniat, inque suam potestatem redigat, ut non tantum Filius Diaboli Joh. VIII. 44. Sed etiam ipse quodammodo Diabolus fiat Joh. VI. 71. O igitur execrandam defectionem, cum ovis spontè incurrit fauces infernalis lupi; Reus Redemptorem fugiens ad Carnificem properat, quem sua levitas è luce ad tenebras, è cœlo ad Tartarum, à Deo ad Diabolum rapit.

CAPUT. IV.
De Effectu & Consequente Defectionis Spiritualis.

THESIS. I.

Ira Dei & tremenda Christi θεων & χριστου
Judicis sententia, in extremo Judicio, infelices hosce Apostatas seu fulmen prosternet.

Εξήγησις.

Εξήγησις τῶν ἀποστόλων
§. 1. Inter insignes Apostatas non defuere, qui nullum per-
petrati criminis, sceleratissimæque vitæ solenne judi-
cium aliquandò futurum, vel non credidere, vel mali-
tiosè negarunt. Commentarius huc non facit, quo Ju-
dai juxta Targum Hierosolymitanum, omissum Gen. IV.
5. Caini cum Abele colloquium interserere cupiunt, u-
bi Cainum ita locutum ad Fratrem ferunt. *Non est judi-
cium, neq; Judex, neque seculum aliud, nec merces bona
pro justis, supplicium pro impiis &c.* De quo vid. Scherz.
System Theol. Loc. XXIV. p. 641. Quòd ad Pontificum
nonnullorum Rom. videlicet Pauli III. Julij II. Johannis
XXI. & Leonis X. ut & Epicuræorum & Atheorum im-
pia asserta attinet, potiùs de intentione, desiderio & vo-
to earum, quàm conscientia & certâ animi sententia in-
telligendum.

§. 2. Judicium extremum à Theologis nostris
duobus modis accipitur, vel pro particulari & quasi pri-
vato cujuslibet hominis, quandò moritur; Nam judi-
cii sententia cuilibet statim morienti in particulari in-
sinuatur, quæ in resurrectione solenniter promulgabi-
tur; vel pro universali, solenni ac publico.

§. 3. Certò futurum aliquandò ejusmodi solen-
ne & universale judicium scriptura *ρητῶς* asserit. Ipse
enim Salvator Joh. XII. 48. *ὁ λόγος ὃν ἐλάλησα κενεῖ αὐτὰν ἐν
τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ.* Matth. XI. 22. *Πλὴν λέγει ὑμῖν. Τύρα καὶ Σι-
δῶν ἀνεκώτερον ἔσται ἐν ἡμέρᾳ κείσας, ἢ ὑμῖν* cap. XII. 36. *λέγω δὲ
ὑμῖν, ὅτι πᾶν ῥῆμα ἀργὸν ὃ ἐὰν λαλήσωσιν οἱ ἄνθρωποι, ἀποδώσεται, καὶ
αὐτὸς λόγος ἐν ἡμέρᾳ κείσας.* Ebr. IX. 27. *κατ' ὅσον δὲ τίθειται τοῖς ἀν-
θρώποις ἀπὸ τῆς θανάτου, μετὰ δὲ τούτου κείσας.* **Q**uanquam hunc
C locum

locum B. Dännhauerus Hodosoph. fol. 1436. non impro-
babiliter de iudicio particulari intelligat. Adde Luc.
II. 31. seqq. Matth. XIII. 41. Integer hujus iudicii pro-
cessus describitur Matth. XXV. 31. *Duas, inquit Augustin.*
lib. XX. de Civit. Dec. c. 5. hoc loco res discernimus & ven-
turum esse iudicium, & cum mortuorum resurrectione ven-
turum.

§. 4. Vocatis igitur ad summum iustitiæ tribu-
nal apostatis, Christus iudex æqvissimus iratum & for-
midabile se præbebit, examinans i. facta & opera eorum.
Apoc. XX. 12. Rom. II. 6. Matth. XVI. 27. Apoc. XXII. 12.
Eccles. XII. 14. 2. Corinth. X. Matth. XXV. 42. 2. Omnia
cogitata Rom. II. 16. 1. Cor. IV. 5. Omnia verba Matth.
XII. 36. & 37. Dan. VII. 10. Apoc. XX. 12. *Tum cuique,*
inquit Augustin. l. c. I. XX. cap. 14. opera sua vel bona
vel mala, cuncta in memoriam revocantur & mentis intui-
tu mirâ celeritate cernuntur, ut accuset vel excuset scientia
scientiarum. Trepidantes tandem decretoriæ Christi
sententiæ fulmen Matth. XXV. 30. *Discedite à me Male-*
dicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis
eius, v. 41. prosternet, & ibunt hi in supplicium ætern-
um v. 46. ad opprobrium & contemptum æternum
Dan. XII. 2. Marc. XI. 44. 46. 48.

THESIS II.

*Defectionis præmium mors erit
æterna.*

Εξήγησις.

§. I.

DE prava Socin. significatione æternæ mortis, cum fu-
turam

turam annihilationem vel totius compositi, vel alteru-
trius partis somniant, parùm sumus solliciti. Mors i-
deò nobis dicitur æterna, quia est finalis & nunquam ter-
minanda hominis à divinà gloria separatio. Naturali-
ter enim homo moritur, quandò anima à corpore sepa-
ratur quæ & mors corporis dicitur. Spiritualiter cum
à gratia Dei, abstrahitur.

§. 2. Est enim mors tum privativa, tum positi-
va. Privativa consistit in omnium bonorum gratiæ, so-
laminis, & auxilii privatione. Positiva, exquisitissima
erunt tormenta, quæ, quamprimum infelicem animum
ejusmodi Apostata exhalavit, incipiunt æternumque per-
durant. Hinc meritò ineptam Socin. & Anabapt. Sen-
tentiam rejicimus, qui communem animarum post mor-
tem lethargum, ad extremum usque judicium duraturum
statuunt. Tormentorum v. genera, cum sint infinita,
singulatim recensere, nec vacat, nec possumus, conge-
riem omnium cruciatuum potiùs dicemus. Quid, quod
nihil malorum ei deesse poterit, qui à fonte omnis boni
separatus est, ut derivatum malorum in se quicquam iri-
jurè meritoque horreat. Proindè, nobis qui sub vexil-
lo Christi militamus, ne pariter ad Defectionem incite-
mur, ex aliorum clade sapere, ex aliorum vulnere conva-
lescere licet; Aliorum lapsus sit nostra salus, mors eo-
rum nostram causetur vitam. Erigamur ad verba, quæ
olim signis suis Galli in Hugenottos pugnaturi insculpsè-
re, teste Büsfiere Hist. Gall. lib. 19. c. 24. *Pro Christo &
Patriâ dulce periculum.* Constantiæ proprium est, in o-
mni calamitate & vastissimo quoque seu corporis do-
lore, seu animi mœrore, semper velut in basi simulacrum
stare immotum. Constantia fidelium, per ea, quibus

impetitur, majori fulget] gloriâ. Silex læsus scintillat,
& post tormenta & frequentatas contusiones adamas cla-
ret. Sic virtus emicat afflicta, & calamitatibus illustrior
redditur. Asiæ Monarchæ, teste Dn. Vall. Geogr. part. I. p.
389 non certa insignium vexillis genera imprimunt, sed
more Europæis alieno, sola Regum vel Majorum nomi-
na in virtutis incitamentum signis, intexta contuentur.
Quid melius & laudabilibus Christo militantibus erit,
quam cum Ignatio nomen Jesu cœlestis Regis, non vexil-
lis, (*quod de Theodosio Imp. refert. Franck. Haupt & Mo-
narch. Parte 1. p. 307. qui cum Arbogasto dimicaturus li-
teras in voce Christi occurrentes, xpo signis intulerat.*) Sed
cordi inscriptum gerere? Insistendum vestigiis tot He-
roum, acriter sub auspiciis Christi cum Hostibus Spirit.
decertantium. Clara in S. literis eorum extant nomina,
fides Abrahami corruscat, constantia Isaaci, Tolerantia
Jacobi, Patientia Jobi & aliorum. Kefero pœticum pro-
nunciatum, in quod tessera Christ. Milit. Stanihurstii 10.
die Sept. legenda desinit:

Pramia Victorum pendent à fine laborum,
Cui & ego tractationis hujus adscribo.

F I N E M.

PORISMATA.

I.

Principium mali nullo modo in Deum cadit.

II.

Peccatum originis non consistit in nuda & mera privatione.

III.

Peccati originalis subjectum est homo corruptus, quam primùm incipit esse.

IV.

Solus homo post lapsum divinæ misericordiæ objectum extitit.

V.

Homo ad Defectionem spiritua- lem non cogitur, sed liberè consen- tit.

VI.

Datur habitualis proclivitas in ho- mine ad malum.

VII.

Causæ externæ ad Defectionem
spir.

Spir. moventes sunt infinitæ.

VIII.

Meritum Christi sese ad omnes homines extendit.

IX.

Nullius iniustitiæ DEus arguendus, cum infinita & nunquam terminanda spir. defectionem sequitur pæna.

X.

Homo animam agens de salute vel interitu æterno statim certus redditur.



05 A 333

ULB Halle
004 209 591


3



V317







B.I.G.

Farbkarte #13

I. N. J. Amen!
ΔΙΑΤΡΙΒΗ

Seu
EXERCITATIO THEOLOGICA
expedens
DECRABILEM SPIRITUALEM
EFFECTIIONEM
ITANTIUM SUB VEXILLIS
DELESTIS REGIS CHRISTI
JESU,
ad castra PRINCIPIS TENEBRARUM,

Quam
Supremi Numinis auxilio,
& inclytæ Facultatis Theolog. consensu
In Alma Leucorea,
SUB PRÆSIDIO
Commè Reverendi, Magnifici, Amplissimi, atq; Excellentissimi
JOH. DEUTSCHMANNI,
Doctoris, ejusq; Prof. Publ. longè Celeberrimi, Consistorii
lesiastici Assessoris gravissimi, ut & Alumnorum
Electoralium Ephori,
roni, atq; Præceptoris sui, quovis observantia cultu etatem
deverendi,
Publicæ Eruditorum Disquisitioni subjecit
Ernst Henrich Wackenroder / Rugianus.
Addièm Januarii, Anno clis lsc LXXXVI.
In Auditorio Theologorum.
ITTEBERGÆ, Literis SCHULTZIANIS.